

DISCURSUS PHILOSOPHICI
Ex doctrinâ ARISTOTELIS de Sophisticis Elenchis
formati & exemplis illustrati.

404

De
SOPHISTICATIO-
NIBVS SCILICET IN GENE-
RE ET IN SPECIE EARVMQVE
SOLVTIONIBUS.

Quos
IN NOMINE DOMINI
Permissu Amplissimæ Facultatis Philosophæ
In Celeberrimâ Academiâ Regismontanâ
PRÆSIDE
M. HARTVICO WICHELMANNO,
LUNÆBURG.

DNO. Præceptore ac Fautore suo ætatèm de venerando.
Dialectici Exercitij gratia
Publicè VENTILANDOS proposuit

MICHAEL WATSONIUS,
Stolpâ Pomeranus.

QVORVM
Exercitatio I. habebitur d. Decembr.
In Auditorio Philosophorum.

REGISMONTII,
Typis JOHANNIS REUSNERI, ANNO M. DC. XLVI.

Philos.

B.

203,46

DISCURSUS PHILOSOPHICI
Ex doctrina Aristotelis de Sophistis et de
terminis & exceptis illationibus.

SOPHISTICALIS
NIBVS SCILICET IN GENE
RE ET IN SPECIE EARVMQVE
SOLUTIONIBUS.


In Nomine Domini
Petrus Anthonis Philosophus
in Celsissima Academia Regiomontana

M. HARTVICO WICHELIMANNO,
LUNENBURG.

Pro Rectore
Dilecti Exercitij gratia
Tabulae Praefatae per

MICHAEL WATSONIUS
Stoffa Pontanus

Exercitio habito die Decembris
1711



JOHANNES WICHELIMANNUS M.D.C.LXXI.

(I.)

B. C. D.

DISPUTATIO PRIMA
DE DISCRIMINE
Sapientis, Dialectici, Tentantis,
Sophistæ & Litigiosi.

Item

De Quatuor minus principalibus
Sophistarum scopis.

§. 1.



OPHISTÆ vocabulum ex impositione prima honestissimæ conditionis virum, bonarum nempe artium Doctorem, olim apud Græcos denotasse multi cum Isocratis Interprete Wolfio dicunt: Qui tamen nominis usus, cum ex veteribus Græcis autoribus fide dignis vix monstrari, nisi forte per fallaciam, possit, dubius esse potest. Vid. Dn. Præsidis disp. de Sapientiâ prima in Corollario. Antiquitus enim (definiuntibus Græcis philosophis aliisque Autoribus) Sophista dictus fuit qui hoc vitæ genus sibi elegit, ut per gloriam ex fucata sive apparente Sapientiâ comparatam questum faceret: Sapiens autem sive σοφός Sophistæ oppositus apud Græcos scriptores vel absolutè, vel cum addito dicitur. Sapiens in certo genere seu cum addito is est, qui ita excellit in cognitione aliquâ, ut cognitionis illius causas assignare possit; ut Sapiens pictor, Sapiens statuarius. Sapientior autem dicitur alius alio, qui circa magis honorabilia versatur. Sapiens igitur absolutè dictus is procul dubio erit, qui primas rerum causas & principia intelligit, & cognitionem veram ex causis eductam de rebus naturâ maximè honorabilibus habet. lib. 6. Eth. c. 6. & 7. lib. 1. Metaph. c. 1. & 2. Hinc Sophista etiam vi oppositorum unius generis non erit, sed 1. qui vult videri, quasi in arte & cognitione aliquâ excellat, & causas artis suæ reddere possit. 2. Qui simulat, quasi maximè sublimia & primas rerum causas scrutetur & omnia sciat in universali. Quot igitur sunt

Δ

sunt

sunt genera Sapientum, tot etiam Sophistarum erunt, & quemadmodum dantur Sapientes in Physicis, Politicis, Rhetoricis, Dialecticis &c: sic etiam simiæ eorum in omnibus artibus, absolute autem dicti Sophistæ in Dialecticis, uti mox dicetur, deprehendentur lib. I. Soph. El. c. 9. Quia verò Sophista *sapiens* videri cupit, ejus officium fictè sibi sumet, quod *geminum est* (1.) *Veritatem novisse ejus rei quam profitetur* (2.) *Posse monstrare eos, qui falsa dicunt, ex iis, quæ ipse novit, & simul notificare quare falsa dicant, & quod hæc talia sint* lib. I. Soph. El. c. 1. Hinc Sophistæ munus erit (1) simulare, ac si veritatem sciat, cum illam non teneat (2.) velle videri & operam dare, quasi falsitatis arguere illos & cum ratione contradicere iis possit, qui artem vel scientiam aliquam profitentur: atque hæc duo sunt, quæ in omni cognitionis genere Sophista absolute dictus & in Dialecticis descriptus, de cujus technis acturi sumus, intendit. Unde lib. 3. (4.) Metaph. c. 2. Philosophus docet, circa idem genus Dialecticam & Sophisticam versari cum Philosophia sive sapientiâ; sed Philosophiam à Dialecticâ differre τῷ τρόπῳ τῆς δυνάμεως Facultate, à Sophisticâ τῷ βίῳ τῆς προαίρεσις proposito vitæ genere. Philosophia circa ens per se prout ens est, versatur, & circa ea, quæ enti per se insunt; Sophistica & Dialectica circa ea, quæ accidunt enti, vel circa ens per accidens sunt occupatæ. Hæc quidem circa argumenta & rationes probabiles; illa circa apparens probabile & Syllogismos apparentes. I. II. Met. c. 3. *Nulla enim scientia ea, quæ accidunt subjecto suo considerat, sed quæ ei per se insunt; at Dialectica & Sophistica circa ens omne quidem versantur, sed ea tractant, quæ accidunt enti. Et hoc proprium est his facultatibus imprimis Sophisticæ.* I. 6. Met. c. 2. I. II. (13.) c. 8. Sapiens itaq; est qui veritatem de omnibus novit & contemplari potest in universali. Dialecticus verò qui de omnibus probabiliter potest disputare ad opinionem, propter quadruplicem illam, quam ars disputandi præstare potest, utilitatem (atq; hæc sunt facultates quibus dialecticus & sapiens differunt.) Sophista autem qui vult videri, quasi de omnibus habeat veritatem, ut gloriam hanc adeptus, per apparentem sapientiam quæstum faciat, (& hoc est ejus vitæ genus, quo à Dialectico & sapiente differt, qui quidem idem quod Sophista præstare possunt, sed non habent id sibi propositum) Vid. lib. I. Top. c. 1. & 14. lib. 3. Met. c. 2. lib. I. prior.

c.30. lib.2. prior. c.16 lib. 8. Top. c. 13. lib.1. Soph. Elench. c.1. 2. & 11.
1. 1. Rhet. c.1.

§. 2. Comparatur porrò Dialecticus cum Sophistà ut bonus cum malo. Dialecticus est, non qui ex veris concludit vera; hoc enim orationis genus dicitur Doctrinale; & pertinet ad Analyticum, qui vera ex primis & propriis principiis, hoc est, demonstrativè tradit Vid. præter loc. cit. l. 1. post. c. 2. lib. 1. prior. c. 1. lib. 11. (13.) Metaph. c. 1. sed qui ex probabilibus quamvis quæstionem dubiam ei, qui ratione indiget, concludere novit: ut si rationem ignorantem dubium sit; utrum veritas sit in intellectu, an verò in rebus? probetur autem affirmativa pars inde, quia probabile est contrariorum & privativè oppositorum idem esse subjectum; Veritas autem & falsitas sunt contraria, veritas & ignorantia nuda sunt privativè opposita: cum itaq; falsitas & ignorantia sint in intellectu, veritas etiam in intellectu erit. Dialectici verò etiam est, tentative disputare, hoc est, cum altero, qui scientiam quandam profiteretur, cum illam non teneat, ex iis quæ scire debebat, & quæ ipse concessit, imprimis ex generalioribus vel communibus, talibus scilicet, quæ etiam is ex arte vel scientia aliquâ novisse potest, qui eam ex professo non novit aut profiteretur, (habet enim scientia quælibet talia quædam) benè discurrere, ut ejus imperitia monstretur. Nam opiniones quæ sunt secundum artes, etiam sunt Dialecticæ, v.g. quod Medicis, quod Geometris &c. videtur lib. 1. Top. c. 10. & 14. Sunt autem tales opiniones in Medicâ: *Evacuationes lunâ plenâ & novâ minus esse instituendas: mutationes morborû lunâ ad quadraturam accedente maxime contingere: ambulationem post cœnam ad meliorem concoctionem facere: carnes leves & sicciore, ut avium, esse concoctu faciliores & salubriores: febres cum dolore capitis & sudore esse conjunctas: salem, acetum &c: ad carnes & similem dulcedinem habentes cibos, modicè adhibita conducere: motum à putrefactione conservare sanguinem &c.* Similiter se res habet in aliis Scientiis & artibus, in quibus tamen propositiones hujusmodi, ut veræ sumuntur, vel probantur, à Dialectico verò, ut, quæ videntur veræ, adhibentur. *Est enim Tentativa pars Dialecticæ αὐτὴ δὲ δύναμις συλλογίζεσθαι ψεύδῃ δι' ἀγνοίας τὰ δίδονται. Δεὶ τὸ πρᾶγμα τὴν λέγον lib. 1. Soph. El. c. 8.* Et ipsa Dialectica est tentativa, circa illa quæ in Metaphysicis traduntur




A 2

117.

eur lib. 3. (4.) Metaph. c. 2. Item Tentativa est Dialectica quædam
 lib. 1. Soph. Elench. c. 11. §. 1. & 2. Sophista autem Dialectico opponi-
 tur (1.) quando non ex probabilibus, sed ex iis, quæ videntur probabi-
 lia concludit, qualia sunt: Magis & minus non variant speciem: **Plus & minus non variant speciem:** Nulla causâ est deterior effe-
 ctu; Calor est deterior substantiâ; Quod quis non habet alteri con-
 ferre nequit: Nihil agit in seipsum: Nihil auget seipsum: Contra-
 rium non auget vim contrarij sui: Formæ rerum latent. &c. (2.)
 quando ex iis quæ sunt probabilia, videtur concludere, sed non con-
 cludit, quod fit, quando impingit in regulas bonæ consequentiæ,
 quæ in Syllogismi definitione involvuntur, licet propositionibus
 utatur probabilibus, ut: Privatio non agit, frigus est privatio, Er-
 go frigus non agit. Nam vocabulum privationis æquivocè accipi-
 tur, & Syllogismus est ex meris indefinitis propositionibus.
 (3.) quando ex iis quæ videntur probabilia videtur concludere, ut:
 Omne naturale connascitur. Prima principia Philosophiæ sunt
 naturalia E. cum homine nascuntur. Omne quod cum homine sem-
 per vel plerumque nascitur, est quidem naturale homini, sed non
 vice versa: invertatur itaq; in syllogismo major, & manifestum
 erit, quod ex puris affirmativis in secundâ figurâ, per fallaciam sci-
 licet consequentis concludat: Naturale præterea dicitur æquivocè
 lib. 1. Top. cap. 1. Tentativo verò Dialectico opponitur Sophista 1.
 quando videtur concludere ex talibus quibus tentativus utitur,
 cum non concludat per bonam consequentiam: 2. quando ex
 communibus rationibus talibus, qualibus aliàs Dialecticus tenta-
 tivus utitur concludens, ex propriis scientiæ, vel rei alicujus prin-
 cipiis concludere videtur, contra doctos præsertim, ut eos in sci-
 entiâ suâ minus peritos esse monstret: & licet hac ratione rectè in-
 terdum colligat sophista, sophisticatur tamen, quia se opponit ve-
 ram scientiam habentibus, & doctos suâ oratione impedit, igno-
 rantes verò non manifestat lib. 1. Soph. Elench. c. 8. Ultimi hujns ge-
 neris Sophisticationum tria producit exempla Aristoteles lib. 1.
 Soph. El. c. 11. quæ quia brevius proponuntur, quam ut à lectore si-
 ne interprete intelligi possint, explicare lubet, præsertim cum hic
 Sophisticandi modus minus pro tali, qualis est, agnoscat. Prima
 est Brysonis, qui, quod circulus quadrari possit, probaturus, ita juxta
 Alexan-

Alexan-





Alexandrum Aphrod. est argumentatus: Quo datur majus & minus, ei datur æquale: Circulo cujus centrum I. datur quadratum majus (quadratum circulo circumscriptum A. B. C. D.) & minus (quadratum circulo inscriptum E. F. G. H.) E. Circulo datur quadratum æquale. Argumentatio hæc geometrica & ad rem accommodata videri possit; cum non sit: Nam ad varias materias quæ non sunt geometricæ applicari, & apud indoctos etiam adhiberi potest: Vid. l. cit. & lib. I. Post. c. 7. Syllogismus præterea continet fallaciam figuræ dictionis, quia minor ita subsumitur, ac si in majore dictum esset; Quo in aliquo genere datur majus & minus, illi etiam in eodem genere datur æquale; ita verò formata major falsa est, quod per instantias monstrare licet: numero enim ternario, in genere numerorum parium datur major (quaternarius) & minor (binarius) sed non datur ei numerus æqualis in genere numerorum parium: actionibus & affectibus bonis datur in genere pravorum major & minor affectus sed non æqualis: Angulo semicirculi, qui scilicet à Diametro & semicirculo continetur (A. B. C.) datur inter angulos rectilineos major (ut rectus D. B. C. & obtusus E. B. C.) & minor (ut acutus F. B. C.) sed non datur ei in hoc genere angulus æqualis. Syllogismus itaq; Brysonis nec Geometricus est, nec bonus, nec quomodo, nec quod Circulus quadrari possit monstrat. Secunda Sophisticatio ab Arist. citata est Antiphontis, qui quadraturam circuli probaturus, juxta Interpretes, ita argumentatus fuisse videtur: Cui datur æquale tertio, ei ipsum tertium æquale datur; Circulo datur æquale tertio (quadrato) E. circulo datur ipsum tertium (quadratum) æquale. Minorem hoc modo monstrare conatus est; Inscribendum jusfit circulo figuram rectilineam æquilateram: (quæ sit in Circulo cujus centrum A, quadratum B. C. D. E.) hujus singula latera in duas æquales partes dividi, ex punctis divisionis ad circumferentiam circuli perpendiculariter erigi, à perpendicularium extremis in circumferentia terminatis, ad angulos proximos figuræ inscriptæ lineas rectas duci, easq; singulas rursus in duas æquales partes dividi, & reliqua eodem modo ut prius peragi voluit, (sicut in latere C. D. & in lineis C. F. & F. D. C. G. & G. F. est factum) donec lineæ rectæ incidant in circumferentiam Circuli. Ab illis porrò lineis rectis incidentibus in

Vide Fig. I.

V. Fig. II.

V. Fig. III.

A 3

circum-

circumferentiam circuli figuram rectilineam circulo æqualem comprehensum iri dixit, cum verò huic æquale quadratum constitui possit, circulum quadrari posse manifestum esse asseruit. Verum Syllogismus Antiphontis non est ex principiis Geometricis desumptus, ut nec Brysonis, sed ex communibus, ut ad varia alia accommodari possit, demonstratio autem debet esse ex domesticis rei principiis, & talis quæ non possit accommodari ad aliena. Deinde quod in specie probari debet (circulo scilicet dari æquale quadratum) id in genere sumitur in minore (quod nimirum circulo detur æqualis figura rectilinea) adeoq; committitur petitio principij Lib. 8. Top. c. 13. Probatio deniq; minoris, falsis nititur hypothesebus, in definitiones continui, recti & curvi impingentibus, quales sunt: quod linea recta in infinitum divisibilis tamdiu possit dividi, donec incidat in circumferentiam circuli: & quod linea recta possit cadere super curvam, curva enim est quælibet pars circumferentiæ. Tertia Sophisticatio ex Zenonis Eleatæ ratione formari potest, si quis probaturus, quod ambulare post cænam non sit melius, quam non ambulare, hoc vel simili modo argumentetur: Quod non est, non est melius quam non ambulare, ambulatio non est, Ergo ambulatio non est melior quam non ambulare. Ambulatio autem non est, quia ambulatio est motus, motus verò juxta Zenonem non datur. Nam si motus daretur, transitus fieret per infinita, tempore finito: motus enim est per continua, imò per multa continua, continuum verò est infinitum, per infinita verò tempore finito transire non licet. Argumentatio hæc non est Medica, qualis esse debebat, sed ita communis, ut ad plurima accommodari possit, unde Medicum revera redarguere in sua Scientia non potest: Continet præterea falsam positionem, quod scilicet in finito tempore infinita per transire non liceat. Duobus enim modis continuum & ipsum tempus dicuntur infinita 1. Ratione divisionis, ita omne continuum & quodlibet etiam tempus est infinitum. 2. Ratione extremorum sive magnitudinis: Jam infinitum ratione quantitatis & terminorum pertransiri nequit, sed infinitum ratione divisionis transiri potest: potest itaq; aliquid in tempore secundum quantitatem finito, sed secundum divisibilitatem infinito, pertransire aliquid quod simili modo, divisione scilicet, est infinitum, sed

quan-

quantitate finitum, unde falsum est, quod in tempore finito (secundum quantitatem) non possit pertransiri infinitum (secundum divisionem) lib. 6. phys. c. 1. Aristoteles solet hujusmodi argumenta λογικά appellare καὶ κενὰ lib. 1. Eud. c. 8. lib. 2. de gen. anim. c. 8. possunt uno vocabulo κενολογία dici: λογικά dicuntur, quia sunt communia, non ex propriis & domesticis rei vel Disciplinae alicujus principiis: κενὰ, quia videntur esse aliquid, cum nihil sint: κενὸν ᾧ δοκεῖ μὲν εἶναι π; ἔσθ' ἐυθέν. Hinc lib. 8. Top. c. 12. ad falsas rationes referuntur, quia videntur esse geometricæ, medicæ &c. vel ad rem accommodatæ, cum non sint tales, ea itaq; ratione ad minimum, si non alia, fallunt. Ex quibus jam manifestum est, quod argumenta quæ ex communibus artium & scientiarum principiis, non ut indubitato veris (ita enim in scientiis sumuntur ad probandum quod sit) sed tanquam probabilibus sumptis formantur, sint dialectica & tentativa, si tanquam communes rationes ad ignorantiam detegendam in disputando adhibeantur: Talia Aristoteles interdum demonstrativis rationibus præmittit vel postponit, vocatq; ea logicas demonstrationes & considerationes, quas Analyticis & Apodicticis opponit. lib. 1. post. c. 19, 21, & 29. 1. 8. phys. c. 12. Si verò communes hujusmodi rationes pro demonstrationibus venditentur, sicuti à Brysone & ab Antiphonte fuit factum, tunc sophistications fiunt, præsertim si apud doctos adhibeantur & ex falsis concludant. Producitur manifestum ejusmodi exemplum lib. 2. de Gen. anim. c. 8. ad demonstrandum cur mula sit infœcunda: Peccavit itaq; cum sectatoribus suis Plato, quando ex uno atq; altero exemplo universalialia formavit, quæ ad varias materias accommodari potuerunt, & inde Physicas, Politicas &c. quæstiones demonstrare est conatus lib. 1. de Gen. & Corr. c. 2. Ad idem genus argumentandi pertinere videntur sequentia argumenta; quæ præterea quod λογικά sunt κοινὰ καὶ κενὰ, continent etiam alias fallacias & falsas propositiones. Accidens non potest producere substantiam, calor est accidens E. calor non potest producere substantiam. Plantæ & animalia quæ spontè generari dicuntur sunt substantiæ E. à calore non producuntur. Quod est supra vires alicujus, id ab eo non producitur (nihil enim agit ultra suas vires & supra suum posse) atqui producere substantiam, animal,

mal, plantam &c. est supra vires caloris, E. nullum animal, nulla planta, nulla substantia à calore producitur. Causa non est deterior effectu, accidens est deterius substantia, vivente. E. accidens nullius substantiæ, nullius viventis erit causa, calor autem est accidens, E. Item accidens non migrat de subjecto in subjectum; calor est accidens, E. Calor non migrat de subjecto in subjectum. Calor itaq; ab igne in aquâ produci nequit. Quod si hæc argumenta essent bona, nec chylum, nec lac, nec sanguinem, nec vitrum, nec panem excoquere posset calor; nec ignis ignem generabit calore, nec ullam alterationem sequetur generatio substantiæ, nec calor corrumpere poterit substantiam, corrumpendo enim generat aliam, neq; generatio unius erit corruptio alterius & viceversa. Item substantia non est substantiæ contraria, calor & frigus sunt contraria, E. calor & frigus non erunt substantiæ & per consequens non erunt formæ elementorum. Principia corporum naturalium etiam sunt contraria & differentiæ substantiarum sunt contrariæ E. non erunt substantiæ. Solvere autem sophisticationes tum has tum alias Dialectici est, non ejus qui scientiam propriam profitetur. Nam scientiæ cujusvis est solvere eos paralogismos, qui ex propriis scientiæ principiis formantur de quibus infra. Vid. loc. cit. & lib. i. Phys. c. 2.

§. 3. Potentiâ itaq; sive facultate Dialecticus bonus cum Sophista convenit, præelectione verò sive proposito sibi vitæ genere ab eodem differt; Quia scilicet Dialecticus, non vult fallere cum possit; Sophista verò hoc vitæ genus sibi elegit, quod scientiam habentes circumvenire velit. Litigiosus autem eadem quidem oratione utitur, quâ Sophista, sed non propter eundem finem; *Litigans enim disceptat, ut vicisse videatur. Sophista vero disputat gloriæ causâ, ut eam adeptus questum facere possit* lib. i. Soph. El. c. 10. (11.) Proinde cum iniquo mercatore & tyranno comparari potest Sophista. Mercator enim minus cum habeat, dat operam, ut per lucrum plus acquirat; lucrum autem est alterius damnum: Ita etiam Sophista cum nihil aut parum laudis & existimationis propriæ habeat, aliorum gloriæ detrahit, & ut lucrum ex raptâ gloriâ capiat, apparentem sapientiam profitetur. Et quemadmodum Tyrannus finem hunc sibi propositum habet, quòd velit voluptuosè vivere

id.

id verò præstare nequit, nisi multum pecuniæ acquirat, & è medio tollat ea quæ voluptatem impediunt; unde etiam viros insignes trucidat, discordiam concitat, variisq; technis utitur, ut finem obtineat suum. Sic Sophista qui deceptionem intendit, ut gloriam & quæstum adipiscatur, verba ad fallendum variis modis composita, variè adhibet.

§. 4. Cæterum juxta cap. 5. lib. 1. Soph. El. proponit sibi Sophista quinque potissimum, quibus fucatam Sapientiam intendit; eaq; metas sophisticas vulgò appellant, quoniam sunt scopi & intentiones Sophistæ: Qui operam dat ut videatur 1. ἐλέγχειν, id est, ut ipse Sophista videatur ex propositionibus à respondente concessis concludere contradictorium eius, quod antea theseos loco positum fuit à respondente eodem. 2. Hominem doctum & peritum in suâ arte eo deducere, ut aliquid falsi, aut quod modo falsum esse videtur, dicat. 3. Eundem ad absurda admittenda deducere. 4. Eundem eo redigere ut solæcismum committat, adeoq; in regulas Grammaticas impingat. 5. Id deniq; efficere, ut vir doctus nugæ agere i. e. idem sæpius de eodem in unâ & eadem oratione dicere, putetur. Ac tot sunt Sophisticationum genera. Quando unum ex hisce scopis assequitur Sophista, videtur propositum suum quodammodo obtinuisse.

§. 5. Quod autem hæc de scopis & intentis sophistarum, sive de sophisticationibus doctrina ad Dialecticam pertineat; quamvis in omnibus disciplinis sint Syllogismi & elenchi falsi & fallaces, facile probari potest. 1. ex definitione dialecticæ: *Dialectica enim est ars quamvis questionem dubiam, ex probabilibus syllogisticè concludendi vel probandi, & ita respondendi, ut nihil absurdi vel quod improbabile sit dicatur* lib. 1. Top. c. 1. Jam nisi quis sciat technas Sophistarum, facile aliquid absurdi dicere potest dum respondet. 2. ex officio dialectici, quod duplex est: (1.) ex probabilibus posse differere; & (2.) aliorum secus in differendo facientium Sophisticationes detegere. Hoc vero nemo facere potest, nisi illas præcognitas habeat. 1. 1. Soph. El. c. 1. l. 2. c. 1. 1. Top. 2. Sed datæ rationes communiores & obscuriores videri possunt, quam ut intentum sufficienter probent, magis propria ratio ab objecto & facultate Dialecticæ de-

B

sum;

sumi potest. Omnis sophisticatio in propositionibus, Syllogismis, contradictionibus & elenchis spectatur, unde consideratio illius pertinet ad considerationem horum, horum autem consideratio ad Analyticam & Dialecticam refertur. Hinc sophisticationum doctrina ad utramq; vel alterutram harum pertinebit, ad eam scilicet cujus propositionibus Syllogismis & similibus uti videtur Sophista: *nam quod est & quod videtur tale ad eandem pertinet methodum* lib. 1. Rhet. C. 1. quia oppositorum est eadem scientia. Analytica quidem agit de bono & malo, vero & apparente, sive fallaci Syllogismo elencho &c. & fallaciarum sive paralogismorum modos detegit, illorum quæ ex ignoratione definitionis Syllogismi, propositionis, contradictionis & elenchi proficiuntur, sed quatenus in demonstrando sive docendo occurrere possunt: tales verò paralogismi non sunt Sophistici simpliciter & absolutè dicti, sed tantum cum addito. Nam qui per paralogismos docet & demonstrat, sive in physicâ, sive in geometriâ, sive in aliis disciplinis, & ex *diversis* domesticis id facit, quamvis falsis principiis, is non agit sophisticam, nisi forte cum addito, sophisticam physicam, geometricam &c. Sophista enim ex communibus rationibus talibusq; quæ probabiles sive dialecticæ & tentativæ videntur cum non sint, non docere, sed disputare & refutare conatur, omnibusq; se opponit, ut ad modum sapientis omnia scire & omnium ignorantiam detegere videatur, unde etiam paralogismos suos ex iisdem locis (ex conjugatis similibus, oppositis, &c.) fallaci tamen modo sumit, ex quibus Dialecticus suos syllogismos: Circa eadem itaq; cum dialectico versatur, de iisdem siquidem disputat, (de Genere Definitione &c.) & ex iisdem locis. Dialecticus enim ex probabilibus & communibus concludit, Sophista id facere videtur, unde paralogismus dialecticus, est Syllogismus sophisticus. Quod si ejusdem facultatis est, posse ex probabilibus concludere, & posse ita agere ut videatur id fieri, dialectici erit utrumq;, quamvis illud, non hoc sibi habeat propositum. Methodus itaq; dialectica quia 1. agit de Syllogismis & elenchis dialecticis, de iis etiam quæ videntur tales, sive de paralogismis dialecticis agere debet, tales autem sunt Sophistici absolutè dicti. Et quia 2. agit de facultate bene disputandi,
bene

bene autem disputare & ita agere ut videatur id fieri, est ejusdem facultatis (facultate enim non differt Sophistâ à Dialectico, cum nihil possit, quod non Dialecticus possit; sed *ωφαιρέσει* abutens Dialectici facultate uti fuit dictum) unius verò facultatis una est scientia, manifestum est quod etiam de modo Sophisticandi tractare debeat methodus dialectica, non ut Dialecticus ita agat, sed 1. ne lateat ipsum modus ita agendi: & 2. ut rationes ita agentium solvere sciat. lib. 1. Rhetor. c. 1. atq; hunc in finem etiam scopos Sophistarum cognitos habere debet Dialecticus, non ut eos sibi proponat, sed ut ne lateant ipsum, & ut eis, qui tales sibi proposuerunt, occurrere possit; congregiendum enim sive disputandum omninò est Dialectico, non tantum cum Dialectico, sed etiam cum Sophistis & Sophisticantibus. Unde abundanter patet, quod de Dialectico & Sophistico disputandi modo in eadem sit agendum scientiâ, negare itaq; nemo potest quod de Sophisticationibus in Dialecticis sit agendum, nisi forte vel quod Sophisticari sit fallaciter disputare, vel quod Dialectica sit disputandi facultas, vel quod de vero & apparente disputandi modo in eadem scientia sit agendum, ignoret. Ex dictis etiam manifestum est, quod, prout fallaciæ Syllogisticæ vel in Syllogismis analyticis, sive demonstrativis; vel in dialecticis occurrunt, ita etiam de illis agatur vel in Analyticis vel in Dialecticis sed diversâ ratione & fine: Nam 1. in illis proponuntur & solvuntur ad veritatem, in his ad opinionem & probabilitatem, nam quod Aristoteles de petitione principii dicit lib. 8. Top. cap. 13. id ad reliquas fallacias etiam applicari potest, sicut ex reductione omnium fallaciarum ad ignorationem elenchi patet. *τὸ ἐν ἀρχῇ πῶς αἰτιῶται, καὶ ἀλήθειαν μὴ ἐν ἀναλυτικοῖς εἰρηται, καὶ δόξαν δὲ νῦν λεκτέον.* 2. In his dicuntur Sophisticationes, quia ex communibus, vulgaribus, popularibus & probabilibus, circa quæ versatur Dialectica, agere videtur Sophista, in illis non appellantur hoc nomine vel non simpliciter, sed paralogismi & falsi syllogismi scientiarum singularum, dantur enim paralogismi in physicis, Geometricis, politicis. lib. 1. Post. cap. 9. lib. 1. Top. c. 1. vide etiam lib. 1. Sophist. Elench. c. 9. & 11.

§. 6. Primus quidem Sophistæ scopus est Redargutio siue elenchus apparens, quem maximè & sæpius intendit, à quo etiam libri de Elenchis Sophisticis inscripti sunt, sed cum proluxiori is quam reliqui, explicatione indigeat, dum in eo omnes quæ vulgò dicuntur fallaciæ, continentur, visum fuit ejus Tractationem reliquis expeditis subnectere.

Secundum a. propositum Sophisticæ intentionis erat: *ψευδόμενοι δεικνύναι*, decipere Respondentem, ut concedat aliquid vel asserat, quod est vel videtur manifestè falsum; vel potius ex concessis à respondente aliquid falsi concludere. Hunc scopum maximè obtinet per modum interrogandi. 1. quando quærit de re aliqua certa, dum de nulla re disputatur. Cum n. respondens minus est intentus ad interrogata & responsa, facilius aliquid falsi vel apparentis falsi asserit. Quod fieri potest non tantum in publicis disputationibus, sed etiam in conviviiis aliisque conversationibus. Ut si quis ex Medico de nulla re disputante quærat, annon calidi affectus frigidis sint curandi? vel annon contraria contrariis curentur? juxta id quod dicitur, *ἀἰ. ἰατρῆαι διὰ τῶν ἐναντίων πεφύκασι γίνεσθαι*. Hic vero nil mali sibi metuens quæsitum simpliciter concedat. 2. Quando multa quærit, tum quando de re certa est disputatio, petitq; , ut liberum de singulis feratur judicium. Nam inter multa difficilior est falsi dijudicatio lib. 7. (8.) Top. c. 1. Ut si quis de efficacia verbi Dei disputaturus quærat: utrum verbum Dei sit substantia, an accidens? & quomodo hæc à se invicem differant? Si accidens, an absolutum, an relatum? & quomodo hæc discriminentur? si absolutum, an quantitas, an qualitas? Si qualitas, an habitus, an v. dispositio? &c. Item quare non sit illud quod esse negatur? Item an sit ipse Deus? an aliquid Dei, & quomodo? an v. plane sit extra Deum? Item an sine Spiritu S. operari possit necne? 3. Quando dicit se discendi causa interrogare. Quod si benè respondetur, cessat Sophista; sin malè, ad falsum monstrandum se accingit. 4. Quando Respondentem à proposito ad illa deducit, de quibus major disputandi copia datur, & in quibus ipse Sophista magis est exercitatus. Ita enim facile aliquis falsum aliquod eloqui potest. Est hæc abductio Sophistica quæ sine necessitate instituitur

tuitur

cuitur & opposita est abductioni, quæ à Dialectico commodè adhibetur; 1. quando Respondens negat aliquid quod ad antithesin probandam facit, aut 2. quando opponens destruere aliquid conatur, quod ex thesi necessariò sequitur, quoq; destructo ipsa infringitur positio lib. 2. Topic. c. 5. Si quis a. eo fine scientem abducere velit à proposito, ut falsa dicat, is inquam Sophisticatur. e. g. Si quæstio sit, utrum detur philosophia effectiva nec ne? & affirmato hoc, quærat, annon duplex detur animæ humanæ facultas intellectus & appetitus? Vel annon philosophia informet hominis appetitum? Vel annon philosophia practica tollat malitiam? Vel annon philosophia practica dirigat appetitum sensitivum? Ita, si in disputationibus ad controversias Grammaticas, Logicas, Scholasticas &c: sine necessitate descendatur, talis abductio contigisse videtur.

§. 7. Quomodo verò hæ Sophistarum insidiæ vitari possint, dicendum venit. Vir doctus facilè cavere potest, ne falsa dicat, sed non ita facilè ne videatur falsa dixisse lib. 2. Soph. El. c. 2. lib. 1. Eud. c. 6. Rectè igitur sibi consulit aliquis, si (1.) non temerè quærenti respondeat, sed potius quærat, quare talem quæstionem instituat. (2.) quid quæstio allata ad propositum faciat, monstrari petat. (3.) dicat hîc non esse locum discendi & docendi, sed disputandi &c. (4.) non admittat se abduci à proposita thesi ad aliena, quod fit, si concedat ea quæ ad thesin destruendam nihil faciunt, simul tamen significet, quæ sibi non videntur, quamvis quoad præsentem quæstionem admittere ea possit; cavere etiam debet, ne ad difficilior fiat translatio, quamvis ex thesi necessariò sequatur.

§. 8. Tertius Scopus Sophistæ est πὸν λόγον εἰς ἄδοξον ἀγαγεῖν: eo deducere adversarium, ut paradoxon seu absurdum & à sententia hominum abhorrens asserere videatur; vel potius ex concessis Respondentis tale quid concludere. Scopum hunc obtinere potest per omnes & singulos enarratos modos quibus deductio fit ad falsum & præterea 1. Si attendat cui sectæ addictus sit respondens; Deinde interroget ea quæ à secta illa contra communem hominum opinionem statuuntur; (singulæ enim sectæ talia quædam habent) & ex concessis concludat absurda. Huic Sophisticationis modo

convenienter occurri potest, si monstratur absurdum illud ex concessis non sequi. 2. Quia hominum Sermones & voluntates inter se discordant: οὐ γὰρ πάντα βούλονται τε καὶ φασι, ἀλλὰ λέγουσι μὲν τὰς εὐχρημονεστέτους τῶν λόγων, βούλονται δὲ τὰ φαινόμενα λυσιτελεῖν lib. I. Soph. El. c. 12. Nam omnes dicunt, quod melius sit honestè mori, quam quotidie in voluptate vivere: volunt verò potius in voluntate vivere, quam mori: nisi forsan unus aut alter sit, qui excellentiori ingenio & meliori affectu præditus spernat voluptates. Omnes dicunt, melius esse, cum justitia pauperem, quam cum alterius damno divitem esse: Sed malunt ex lucro (quod est damnum alterius) divites esse, quam in paupertate vitam justam agere. Voluptatem dicunt cane & angue pejus fugiendam esse: Sed dolorem fugiunt & captant voluptatem. Amicitiam honestam, meliorem esse utili omnes ajunt: lubentius tamen amicitiam utilem, quam honestam fovent. Melius esse dicunt injuriam pati quam facere, & beneficia dare quam accipere: contrarium verò eligunt. Hinc Sophista ad absurdum deducere potest adversarium, si asserentem, quod conforme est apparenti sententiæ & veriverbio ad hominum voluntates appetitus & latentem sententiam deducat, & contra, ex hominum voluntate loquentem inmanifestam sententiam & veriverbium impingere monstrat. E.g. absurdum esse videtur quod melius sit dare quam accipere, quia nemo facile illud præ hoc eligit, unde nemo ita sentire videtur: & rursus absurdum videtur, quod melius sit accipere quam dare, quia nemo hoc dicit, unde nemo ita statuere videtur. 3. Quia quæ secundum naturam sunt, sæpius repugnant iis, quæ sunt secundum legem. Per naturam hîc intelligitur, quod verum est; per legem, quod vulgo videtur. Ut secundum naturam sapientes & prudentes regere debent rempubl. potius, quam potentes, divites & nobiles; sed id est contra praxin & consuetudinem, cum potentes divites & nobiles, quamvis minus sint prudentes & sapientes imperent secundum legem, quia multitudini sic videtur: Opinio verò & consuetudo multitudini sive vulgo pro lege est. Hinc etiam sententiæ & rationes sapientum sæpè adversantur opinionibus vulgi; quia sapientum rationes pertinent ad naturam; secundum naturam n. & veritatem

tatem

ratem dicuntur, quæ à sapientibus pronunciantur. E. gr. Sapien-
 tis ratio dicit, vitam beatam non esse sine iustitia; vulgo verò ab-
 surdum est Reges non esse beatos, quamvis tyrannicè imperent;
 cum vero, talium vita sit sine iustitia. E. secundum vulgus vita bea-
 ta potest esse sine iustitia, quod sapientibus est absurdum. Si quis
 itaq; secundum naturam & sapientum sententiam aliquid dicat, ei
 monstrari potest, quod contra legem & vulgi sententiam pronun-
 ciet: Sin ex lege & vulgi sententia aliquid afferat, deducendus erit
 ad naturam rationes & sententiam sapientum. Simili modo quo
 in Rhetoricis disputatur ex scripto & sententia; quando scilicet id
 quod est contra scriptum, defenditur quod non sit contra senten-
 tiam & contra. Respondens verò assertionem suam ab absurdi-
 tate facilè liberare potest, si monstret, vel quod ea non adversetur
 occultæ hominum sententiæ, quam actionibus produnt, licet con-
 trarietur apparenti sententiæ, quam verba præ se ferunt, aut con-
 tra: Vel quod ea quidem legi & vulgi opinionibus, sed non veri-
 tati, naturæ & rationibus sapientum contrarietur & viceversa.
 Cum nonnullis autem quæstionibus ita comparatum est, ut utrinq;
 absurdam faciant responsionem, si simpliciter respondeatur, e. g.
 utrum sapientibus an verò parentibus oporteat obedire? Nam si
 quis hic indiscriminatim respondere velit, parentibus esse obedi-
 dum, absurda videbitur responsio, ac si sapientibus non sit obtem-
 perandum. Distinctè ergo respondendum; Obediendum Paren-
 tibus in iis quæ ad Parentes spectant, sapientibus in iis, quæ ad sa-
 pientes pertinent; ut si parentes artis Medicæ ignari de curando
 morbo præcipiant, tum non illis, sed Medico, cujus est contra mor-
 bos præscribere, obtemperandum. Sic si quis quærat: an iusta,
 an vero utilia sint agenda? simpliciter respondere non potest, iusta
 esse agenda; absurda n. videbitur responsio, ac si utilia non sint a-
 genda; dicendum itaq;, Iusta semper esse agenda, neq; tamen uti-
 lia esse omittenda, sed tum demum facienda, quando sunt iusta, vel
 cum non adverfantur iustitiæ; Si a. pugnent cum iustis, iusta potius
 quam expedientia fieri convenire. Ita etiam si quis interroget:
 utrum magis sit eligendum injuriam pati an v. inferre? resp. neu-
 trum esse eligendum simpliciter, sed facta hypothese, quod utrumq;
 simul

simul vitari non possit; illud magis esse eligendum quam hoc. Non omnis tamen, qui aliquem à voluntatibus hominum ad illorum sermones: à vulgi opinione ad sapientum rationes: ab iis quæ sunt secundum legem, ad ea, quæ sunt secundum naturam ducit, Sophisticari videtur, si scilicet id faciat imperitiori boni finis gratia, quem Sophista non intendit, qui peritum potius quam imperitum, ut gloriam consequatur, circumvenire cupit.

§. 9. Quartus scopus Sophistæ est σολοικίζειν πειεῖν. Ratione vel Syllogismo aliquem eo deducere, ut Barbarismum committat, sive ut in grammatica præcepta impingat. Solæcismus dicitur à Solis urbe Ciliciæ, quæ à Solone nomen accepisse creditur. In hanc translati sunt quidam Atheniensium, qui paulatim ab elegantia & venustate sermonis Attici discedentes, malè conjunxerunt articulos cum nominibus, nomina cum verbis &c. & sic lingua corrupta usi fuerunt. Hinc postea omnes barbære & vitiosè loquentes græcam linguam, σολοικίζειν dicti fuerunt. Potest a. revera aliquis alterum eò deducere ut σολοικισμὸς committat, potest etiam videri id facere cum non faciat; atq; hic posterior modus maxime est sophisticus. Hodie verò Scopus hic non facilè intenditur, quia oppositè ferè pudet tam apertè Sophisticari, & qui grammatica præcepta mediocriter didicit, facilè sibi ne ita decipiatur, cavet. Apud Græcos procul dubio facilius is obtineri potuit, quia linguam à matre didicerunt: Sicut itaq; nos germani in vernaculam linguam sæpius impingimus, ita fortè illi in græcam. Obtinere verò constituerunt scopum hunc sequenti & similibus interrogandi & concludendi modis. Nonne es id, quod te esse dicis? Aff: nonne dicis te esse hominem? Aff: Quod te esse dicis, id es, sed tu te esse dicis hominem. E. tu es hominem. Ad hanc fallaciam respondendum, quod particula id in majore, sit nominativi non accusativi casus, quodq; propterea nomen homo in conclusionem, in nominativo ei respondere debeat. *In masculino genere & feminino fallacia hæc minus latet.* Ut: Quem tu te esse dicis, is es, (non eum es,) Atq; dicis te esse hominem. E. es is sc. homo, non hominem; ad similia simili respondeatur modo. In US desinentia quæ genitivum per I. vel US faciunt sunt generis masculini, ut pannus, fructus. E. etiam acus erit generis masculini.

§. 10.

§. 10. Quintus Sophistæ scopus est, *πῖναι ἀδολεγεῖν* respondentem eò deducere ut nugari videatur. Nugatur a. non qui idem sapiens, sed qui idem de eodem bis aut sapius dicit: ut homo est animal rationale quod deliberare potest lib.6. Top.c.3. Hunc Scopum ut obtineat Sophista, certo orationis genere utitur, quærens: annon perinde sit, sive nomen sive definitio adhibeatur; ut; annon perinde sit dicere Dominum & servi possessorem; Simum, & nasum convavum. Duobus a. modis contingere maximè potest, ut in nugationem apparentem incidat respondens i. Si genus & species sint relata; utrumq; verò sumatur cum eodem: ut cum quæritur, annon perinde sit, sive dicatur concupiscentia sive appetitus jucundi? quod si hoc: quia concupiscentia est jucundi concupiscentia, concupiscentia erit appetitus jucundi jucundi, & concupiscentia jucundi, erit appetitus jucundi, jucundi, jucundi. Ita quia Dominus est servi Dominus, Dominus verò est possessor servi; Servi Dominus erit possessor servi servi. Si pro Domino ponatur definitio, scilicet possessor servi. 2. Si habitus vel affectio vel simile quid cum Subjecto suo conjunctum, per Subjectum definiatur; ut si dicatur, Numerus impar, impar verò definiatur, quod sit numerus unitate superans parem, E. numerus impar erit numerus numerus, qui unitate parem superat. Ita, si Est idem significat in enunciationibus quod est ens, tunc homo est, idem erit, ac homo est ens; quod si Est in hac enunciatione rursus idem significat quod est ens, tunc homo est ens, idem erit, quod homo est ens ens &c. Sic, si quartana est febris, quæ quarto quoq; die corpus infestat, tunc quartana febris erit febris febris quæ quarto quoq; die corpus infestat. Item si homo & unus homo sunt idem juxta lib.4. met. c.4. tunc unus homo, erit unus unus homo; Et unus unus homo, erit unus unus unus homo. Ad hasce & similes nugas responsio ita habet: circa primum modum non concedendum, quod relatum cum correlato suo sumptum, per se & separatim aliquid significet sine correlato; negandum itaq; quod concupiscentia aliquid significet separatim quando dicitur concupiscentia jucundi, quemadmodum in vocabulis compositis, qualia sunt: Agricola, rosmarinus &c. nulla pars separatim significat, unde etiam, si quid rosmari-

C

nus

nus dicatur, illud non dicitur ros, & si quid non esse album dicatur,
 illud non dicitur esse album, licet ros in rore marino & esse album in
 non esse album includatur; ita si quid dicatur concupiscentia jucun-
 di, id non dicitur concupiscentia (nisi subintellecto forte vocabulo
 jucundi) similiter si decem me habere dicam præter unum, non dico
 me habere decem. Deinde, si relatum aliquid per se & separatim
 significat, non significabit idem si separatim & si conjunctim, suma-
 tur E. g. Si concupiscentia separatim significat appetitum jucun-
 di, conjunctim, quando concupiscentia jucundi dicitur, non signi-
 ficabit appetitum jucundi, sed tantum appetitum: ita si juxta cap.
 7. lib. Cat. duplum dicatur dimidij duplum, duplum in duplo dimi-
 dij, non significabit duplum, sed multiplum. Ad alterum modum
 hujus Sophisticationis dicendum, quod vox non statim eandem
 significationem habeat seorsim & per se sumpta, & in descriptione
 adhibita, ut *κοίλον* concavum seorsim dictum denotat curvitatē
 internam, atq; ita significatio ejus indifferenter se habet ad simum
 & varum; quorum illud, concavum nasi, hoc pedis significat, in
 explicatione verò, quando quæritur, quis sit nasus simus & dicitur
 est nasus concavus, ibi concavum aliam significationem habet, de-
 notat n. internam curvitatē non quæcumq; sed talem qualis est
 nasi, hinc perinde est, sive nasus simus sive nasus concavus dicatur,
 quod si in uno non est, neq; in altero erit nugatio. Similiter Est
 non significat idem, quando est & quando est ens: Nec homo,
 quando homo & quando unus homo dicitur. Deinde non est
 concedendum, quod subjectum de affectione prædicetur in casu
 nominativo, ut simum, non significat nasum concavum, sed po-
 tius concavitatem nasi, ut ita nasus simus, dicatur nasus habens
 concavitatem nasi sine nugatione: Nam idem etiam nasus con-
 cavus significat. Impar non est numerus, sed excessus numeri,
 quo is unitate excedit vel superat parem, hinc numerus impar, erit
 numerus, in quo est excessus numeri, quo is unitate superat parem.
 Similiter unum vel potius unitas non erit dicenda Ens, sed *ἀδιαί-
 ρετον τοῦ ὄντος* indivisio vel indivisibilitas entis, hinc Ens
 unum, erit ens quod habet indivisionem vel indi-
 visibilitatem Entis.

••(o)••

Secunda Dissput. sequi
 post hanc Dissputatōem